





1. abschriftigung der Branteboutsing,  
ob ein am Gryffen bij den  
vrouwen bischam = schijf sij in  
zijn den verleibt sijc. 1690
2. Christo = gennetie untersching  
ob ein verdijc die nuw off.  
Raest minch Amtel c. bij  
der absolution moglyker  
kunne. 1733.
3. van Bashuysen s. Henr. Jac.  
diff. de Theologie naturalis  
protestantia, Servestde 1726

5

EXERCITATIO THEOLOGICA  
DE  
**PERMVTATIONE CHRISTI  
HOMINVMQVE IN DEI IVDICIO  
FACTA LEGITIME.**

---

QVAM  
SVB VMBONE  
VIRI MAXIME REVERENDI AMPLISSIMI  
DOCTISSIMI  
**SIGISMVNDI IACOBI BAVMGARTEN**  
S. S. THEOLOG. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN.  
SEMINARIJ THEOL. DIRECTORIS, REGIARVM MENSARVM EPHORI ET  
ACAD. SCIENTIARVM BEROLINENSIS MEMBRI  
PATRONI AC PRAECEPTORIS OMNI QVA DECET  
OBSERVANTIA AETERNVM PROSEQUENDI  
AD DIEM APRILIS CLCL  
HORA LOCOQVE CONSVENTO  
PVBLICE DISPUTANDO VENTILABIT  
AVCTOR  
**BALTH. CASPAR ZIMMERMAN,**  
HOERDA - GVESTPHALVS.

---

HALAE MAGDEBURG.  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPogr.



VIRO  
ADMODVM REVERENDO  
ATQVE  
DOCTISSIMO  
**IOANNI CASPARO**  
**ZIMMERMANNO**  
PASTORI ECCLESIAE QVAE HOERDAE FLORET  
MERENTISSIMO  
**PARENTI SVO**  
SVMMO, QVEM POSCIT RELIGIO,  
PIETATIS ET OBSERVANTIAE CVLTV  
NVMQVAM NON PROSEQVENDO  
SPECIMEN HOC ACADEMICVM  
D. D. D.  
OBSTRICTISSIMVS FILIVS  
**BALTHASAR CASPAR ZIMMERMANN.**

CHY

ADMONDUM REVERENDO

DECTERISMO

O R A B E T O A R G A I O  
O M I N I S T R A T I O N E

LAETORI ECCLIAS QD AV HONORI

O V E R T U R A P

O P R A C T I C A L A U D O M I N I

O P Y Z H T T L R E L O T T S T R A F F

O P T H O D O X O M O N A V O W I

O P H I T A D C O P F E R

Q D E L B I T S C H I E R

O P H A M H E L M I C H A E L A K A Z A L



Q. D. B. V.

S. I.

Summus omnium rerum conditor homines ad beatitudinem felicitatemque aeternam destinavit, sub conditione perfectae legum impletionis, infuscatus vero protoplastrorum lapsus proh dolor! effecit, vt beatitudine hac sua culpa priuati aeternaeque damnationi obnoxii euaserint. Infinita tamen Dei bonitas et misericordia miserum hunc infelicitatis starum cum feliciori commutare hominesque ex eodem eripere studuit, immutabilis vero Dei iustitia absque satisfactione perfecta beatitudinem hominibus impertire non potuit; hinc sapientia eiusdem incomprehensibilis aptum excogitauit medium, quo et bonitati et iustitiae infinitae satisficeret, dummodo vicarium, Christum puta, constituit, qui perfectam satisfactionem tam actiuam quam passiuam loco hominum praestandam in se suscepit et actu praestitit 2. Cor. V. 18. 19. Rom. VIII. 3. Et haec substitutio vicaria permutationem Christi hominumque in Dei iudicio efficit: quam legitime esse factam, nostrum iam erit, vt demon-

A

fre-

stremus. Ut vero ordinate distincteque procedamus, in priori sectione permutationis huius legitime factae requi-sita adducemus, quae in altera sectione permutationis Christi cum hominibus competere efficiemus, indeque eandem legitime esse factam colligemus.

## SECT. I.

DE

REQVISITIS PERMVTATIONIS  
VICARII CVM HOMINIBVS FACTAE  
LEGITIME.

## §. II.

**V**icarius hominum satisfactionem actiua et passiuam hominum loco praestandam in se suscepit §. I.  
*satisfactio actiua* vero impletione legis perfecta,  
et *passiva* perpessione poenarum cum transgressione legis copularum absolvitur. Vicarius ergo hominum loco et perfectam praestandi legis impletionem, et poenas cum transgressione eiusdem ab hominibus facta conexas sustinendi tenetur.

## §. III.

Vt vicarius generis humani hominum loco legem perfecte implere potuerit, necesse est, vt ipse legi non fuerit subiectus. Ipse enim si fuerit ad legem obligatus, pro semet ipso legi obedientiam praestandi teneretur, adeoque hominum loco legem implere non posset. Quum vero vicarius generis humani hominum causa locoque perfectam legis impletionem praestare debeat §. II. fieri non poterit, vt ipse ad legem sit obligatus.

1) Idem

- 1) Idem etiam ex sacrificiis V. T. colligere licet; ad quae animalia irrationalia, obligationis ad legem incapacia, requirebantur, quaeque ad vicarium typicum habuerunt respectum et eandem a legibus solutionem in antitypo indicarunt.
- 2) Assertio vero haec de *obligatione* saltim *externa* et *antecedente*, quae scilicet a voluntate superioris, non tamen ex pacto dependet, non vero de *obligatione interna* et *consequente* est intelligenda.

§. IV.

Ad permutationem Vicarii hominumque legitimam requiritur, ut iste poenas cum transgressione legis ab omnibus facta connexas hominum loco sustineat §. II. poenae vero hae morte temporali et aeterna absoluuntur (per theol. Dogmat.) vicarius ergo hominum poenam mortis temporalis et aeternae luere debet.

Non opus est, ut vicarius hominum morte aeterna ratione durationis in aeternum afficiatur, sufficit si ratione gradus et gravitatis dolores infernales aeternis damnatorum poenis aequipollentes patiatur.

§. V.

Eodem fere modo, quo §. III. euictum est, vicarium hominum lege solutum esse debere, effici potest, illum esse debere impeccabilem sive peccatorum numero exceptum. Quum enim vicarius hominum poenas, ex violatione legum ab hominibus factas, ortas hominum loco luere teneatur §. II. necesse est, ut ipse legem non violauerit, adeoque non peccauerit, quia alias pro sui ipsius peccatis poenam dare deberet, consequenter pro peccatis hominum satisfactionem praestare non posset.

Assertio quoque haec ut consecutarium ex §. III. deduci potest: vbi enim nulla est ad legem obligatio, ibi nec est transgressio legis, adeoque nec peccatum, quoniam igitur vicarius

*De Permutatione Christi hominumque*

hominum obligatione ad legem caret §. III. patet, eundem quoque peccatis esse destitutum: neque minus idem ex sacrificiis V. T. confirmatur, quippe in quibus bruta adhibebantur; nemo vero insciabitur, in bruta nullum cadere peccatum, quem igitur eiusmodi bruta ceu typi vicarium ceu antitypum representarunt, nemo quoque dubitabit, vicarium omnibus peccatis esse debere destitutum.

§. VI.

Sublato peccato omnis tollitur reatus, tam culpae, vt quis legem violasse censetur, quam poenae, vt ad poenas dandas obligetur, quoniam igitur vicarius hominum omni peccato destitutus §. V. a reatu quoque culpae et poenae liber sit necesse est.

§. VII.

Quamuis vero vicarius hominum a propriis peccatis sit liber §. V. ipsi tamen in iudicio diuino peccata hominum imputantur, ipseque pro eorundem auctore declaratur §. II. quae adeo sua peccata sunt imputatiue.

§. VIII.

Omnis imputatio requirit ens liberum, est enim declaratio alicuius pro auctore seu causa liberae actionis, cum igitur vicario hominum peccata eorum imputentur §. VII. necesse est, vt sit ens liberum, seu libertate praeditum. Quod etiam exinde patet, quia obligatur hominum loco legem implere §. II: lex vero, ceu norma actionum liberarum, libertatem supponit, adeoque ens liberum requirit.

Plura imputationis momenta proferendi nostrum institutum vetat, quum quiuis eadem facillimo negotio ad vicarium applicare possit.

§. VIII.

§. VIII.

Quicunque libertate destituitur, vicarius hominum esse nequit §. VIII. nullum itaque brutum, quia libertate destituitur, (per definit.) vicarium hominum causa loco-que agere potest. cf. Ebr. X, 4.

Videntur huic §pho sacrificio V. T. contradicere, siquidem referente scriptura sacra brutis peccata sunt imputata. Verum salua res est, quia bruta haec, quibus peccata hominum in V. T. sunt imputata, typicum respectum ad vicarium generis humani, Christum nimis, habuerunt, quibusque adeo non per se, sed respectiue et typice, peccata imputata sunt.

§. X.

Quoniam perpetuo poenarum imperfectionem quandam in subiecto paciente supponit, ens infinitum vero omni prorsus imperfectione careat, non locum habet nisi in ente finito et contingente : vicarius ergo generis humani cum poenas pro peccatis hominum perpetui debeat §. II. ens finitum et contingens s. natura finita et limitata praeditum esset debet. Quumque maior sit satisfactionis communio, si peccatum in eadem natura, quae peccauit, poenis afficiatur, requiritur, ut vicarius hominum homo sit, veramque habeat naturam humanam.

§. XI.

Vicarius hominum satisfactionem tam actiuam quam passiuam hominum loco praestandam in se suscipit §. I. nullum igitur est dubium, quin facultate viribus que gaudere debeat sufficientibus, vtramque satisfactionem hominum loco praestandi: hinc non solum facultate pollere debet, omnes omnino leges omnimoda perfectione obseruandi, sed etiam viribus sufficientibus instrutus sit necesse est, sustinendi poenas, quas omnes in vni-

uersum homines per transgressionem legis multifariam meruerunt, §. II. adeoque omnium etiam taediorum capax esse debet, quae omnes ad vnum homines in aeternum percepturi fuissent, hinc recte affirmant theologi vicarium generis humani infinitae satisfactionis esse debere capacem.

Satisfactio actua et passiva vicario generis humani possibilis esse debet *absolute, physice et moraliter*: unde simul intelligitur dominium in vitam ipsi competere, quum alias non gauderet iure mortis poenam hominum loco luendi §. 4.

### §. XII.

Tam scriptura sacra quam experientia docet, nullum omnino hominum in statu corrupto legem perfecte obseruare valere, multo minus ergo aliorum loco legi obedientiam praestare potest: immo cum ipse poenas ob propriam legis violationem perpeti obligetur, non aliorum causa poenas sustinere potest. Nemo igitur facile inficiabitur, nullum hominem in statu corrupto vicarium hominum agere posse. cf. Ps. XLVIII. 8.

Idem etiam ex §. 3. colligere licet, si evictum fuerit, nullum hominum obligatione ad legem *externa*, et antecedente esse solutum.

### §. XIII.

Angeli quamvis peccato non sint obnoxii, non tamen viribus sufficientibus pollut, quae ad vicarium hominum requiruntur §. XIII. XII: adeoque et horum nullus substitutionis vicariae pro hominibus est capax; quum praeterea ad vicarium requiratur, ut eiusdem cum hominibus sit naturae §. X.

### §. XIV.

Ex iam demonstratis facile intelligitur, vicarium homi-

hominum nec angelum §. XIII. nec nudum hominem §. XII. esse posse, sed naturae diuinæ esse debere participem. Quum enim vicarius plenariam satisfactionem tam actiuam quam possiuam praestare teneatur §. I. adeoque omnes leges omnimoda perfectione obseruare omnesque poenas omnium hominum perferre atque infinitam satisfactionem praestare debet §. II. XI. quae vero requisita diuinam requirere naturam nemo non videt: patet, vicarium hominum diuinæ naturæ esse debere participem. Idem etiam ex illis SS. oraculis confirmatur, quae vicario generis humani nomina et attributa etc: diuina tribuunt cf. Ierem XXIII. 6. Esa. VIII. 6.

§. XV.

Vicarius hominum non solum viribus valere debet ad satisfactionem tam actiuam quam possiuam hominum loco praestandi sufficientibus §. II. sed etiam requiritur ut vtramque satisfactionem actu praestet §. I. adeoque omnes actiones liberas hominum causa locoque convenientissime legi instituat omnesque omnium ab hominibus vñquam perpetratorum peccatorum poenas actu luat.

§. XVI.

Vt permutatio vicarii cum hominibus legitime fieri potuerit, requiritur, vt per eandem nemini laesio et iniuria sit illata. Quumque iam in permutatione tres personae considerandæ veniant scil. 1) persona, cui permutatio fit, 2) quae permutatur, et 3) in cuius gratiam permutatio instituitur, in permutatione legitime facta harum nulla est laedenda.

§. XVII.

Homines transgressi sunt legem divinam cf. Rom. III,

III, 9-12. Ps. XIV, 3. ipsi ergo obligantur ad perferendas poenas cum facta hac transgressione connexas (Exod. XX, 5.7.) Deus ergo, ceu legislator, gaudet jure, poenas per violationem legis divinae promeritas ipsis hominibus infligendi: si ergo stricto iure agere vellet, permutationem vicarii hominumque repudiare posset, quumque igitur nemo ius suum amittat, nisi consensu suo accedente (per princ. iur. Nat.) patet, permutationem vicarii hominumque legitime fieri non posse, nisi ipse Deus in eandem consentiat eamque approbet.

Permutatio vicarii hominumque tantum abest, vt attributis divinis repugnet, ut potius cum iisdem apprime conueniat. Summa enim Dei bonitas infinitaque eiusdem philanthropia felicitatem, beatitudinem et coniunctionem hominum cum semetipso querit, quae per lapsum amissa non nisi per vicarium restituta est; iustitia diuina immutabilis homines peccatis contaminatos aeternae infelicitati et damnationi addicit, Vicarius vero hominum loco hanc poenam perpessus est, adeoque iustitiae diuinae satisfecit. Imperscrutabili denique sapientiae diuinae permutatione haec aequa conuenit, quum adeo aptum excogitauit remedium, quod singulis attributis diuinis maxime consentaneum est.

### §. XVIII.

Neque minus ipsius etiam vicarii consensus ad permutationem eiusdem cum hominibus legitime insti-tuendam requiritur. Ipse enim vicarius ad permutationem hanc subeundam non obligatur obligatione extera, quod nemo forte in dubium vocabit, nisi ergo suo sponte in eiusmodi permutationem consentiret, sed inuitus ad eandem cogeretur, laederetur; adeoque permutatio eiusmodi nullo modo legitime fieri posset §.

XVI.

XVI. ut ergo permutatio haec legitime institui queat, vicarius in eam libere consentiat necesse est. Quo pertinet, ut non solum cognitione omnium legum obseruantarum poenarumque hominum loco perferendarum gaudeat, sed et ab omni necessitate et coactione intrinseca et extrinseca ad subeundam hanc permutationem liber sit, nec non ex distincta cognitione et motuis, praecipue ab amore erga Deum et homines petitis, permutationem hanc subeat.

Iniustissimum ac crudelissimum factum esset, iustitiaeque diuinae e diametro repugnaret, si Deus vicarium innocentem legibusque solutum ad satisfactionem tam actiuam quam possum hominum loco praestandam ipso inuitu et reclinante cogere veller. Quid quod? ipsa haec permutatio absonta est, quoniam eiusmodi satisfactio coacta moralitatis et imputationis plane esset incapax, siquidem ad moralitatem et imputationem actionis requiritur ut a libertate dependeat & proficiatur.

§. XIX.

Nemo forte, nisi miserrimi & infelicissimi status hominum corrupti ignarus, inficiabitur, permutationem vicarii cum hominibus maximum omnino esse beneficium, quod hominibus unquam exhiberi potuerit. Quumque igitur beneficium per suam naturam nemini invito obtrudi possit, permutatio quoque vicarii nullum haberet valorem, si contra aut cifra voluntatem & consensum hominum fieret, quo ergo legitime & valide institui queat permutatio, homines in eandem consentiant necesse est.

Non opus est, ut hic consensus sit antecedens & expressus, sed sufficit, quod sit praesumtus. Consensus vero praesumtus locum habet, si negotium nullum alteri inferat damnum, sed in commodum & emolumentum eiusdem vergat. Quum igitur permutatio vicarii nullum plane hominibus inferat damnum, sed unice commodum & perfectionem eorundem promoteat, rectissime consensus hominum in hanc permutationem praesumi potest, siquidem quilibet id appetere solet & in id voluntatis inclinatione fertur, quod in perfectionem eiusdem promovandam augendamque cedit.

## SECT. II.

## REQVISITA PERMVTATIONIS VICARII LEGITIME FACTAE PERMVTATIONI CHRISTI HOMINVMQVE APPRIME CON- VENIRE OSTENDENS.

## §. XX.

**P**ertractatis haec tenus requisitis potioribus permutationis vicarii generis humani hominumque legitimae, nostrum jam erit, ut evictum demus, permutationem Christi hominumque iisdem gaudente requisitis, quo intelligi queat, permutationem Christi hominumque in Dei iudicio factam esse legitime.

## §. XXI.

Sacrae paginae pluribus una vice Christum verum esse Deum perfectionesque divinas ad unam omnes ad eoque infinitam & necessariam Dei essentiam ipsi competere docent. Possemus id, nisi instituti limites trans-

gre-

grederemur, variis ex fontibus efficere, unum ergo alterumve saltim Scripturae Testimonium ea de re adducere sufficiet, plura vero desiderantem ad dogmaticam theologiam ablegamus. Confirmatur quippe assertum ex testimonio Pauli Rom. IX, 5. obvio, ubi divus ille Apostolus Christum *Deum super omnia, in secula benedictum* pronunciat. Neque minus idem ex I Joh. V, 20. evictum dari potest, ubi Apostolus admodum perspicue et evidenter Christum verum esse Deum testatur. Quamvis enim adversarii *οὐτος* ad remotum subiectum praecedens sc. Θεόν respicere opinantur; regulis hermenevticis tamen convenienter ad subiectum proxime praecedens scil. ad Iesum Christum rectius referri existimamus. Quibus probationibus aliam addere licet inde desumitam, quod Christo in SSacra nomen יהוָה tribuatur nonnunquam. Vnicum saltim huius rei testimonium afferamus. Num. XXI, 5. 6. quippe israelitas contra Deum murmurasse eaque de causa a serpentibus ignitis a Iehovah immisso occisis esse legimus. Paulus vero I Cor. X, 9. locum hunc de Christo explicat eumque Iehovam in oraculo citato commemoratum esse iudicat. Quum vero nomen hoc Iehovah unice et exclusive soli Deo competit, quod tam ex ipso eiusdem significatu, quam ex Esa. XLII, 8. patet, Christum verum et aeternum esse Deum, ipsique infinitam competere essentiam et naturam diuinam nemo non videt.

## §. XXII.

Eadem scriptura sacra duce Christum hominem veraque natura humana praeditum esse nouimus. Ut bre-

ues simus, ex innumeris, quae pro euincenda hac veritate afferri possent, oraculis vnum alterumue in medium proferemus. Etenim I. Tim. II, 5. Christus expresse totidemque verbis *homo* vocatur et Ebr. II, 14. Apostolus affirmat, Christum aequae ac infantes alios carne et sanguine h. e. natura humana gaudere: quibus adiungi possunt Ioh. I, 14. Rom. IX, 5. eaque dicta, in quibus filius hominis dicitur. Vnde simul inferri potest, Christum quoque libertate gaudere, quoniam haec est nota hominis necessaria et immutabilis, nec separari ab homine vñquam potest.

### §. XXIII.

Ambae tamen hae in Christo naturae neutiquam a se distant et diuelluntur, sed arctissime, intime et inditanter inter se cohaerent et vnitae sunt, ita, vt vnam tantum constituant personam I Tim. XI, 5. quae vno inde *personalis* dicitur, quaeque est principium communicationis idiomatum, ut nimirum vtriusque naturae idiomata et proprietates singulae alteri competant, ita tamen, vt per eandem essentia vtriusque naturae non destruta et euersa fuerit, cuius vero vltior explicatio et illustratio ad theologiam dogmaticam pertinet.

### §. XXIV.

Omnis, qui aliquem saltim de Deo conceptum sibi formant, Deum vt ens supremum omnique superiore destitutum venerantur. Absconum enim foret, Deum seu ens perfectissimum cogitare et tamen ipso superiorem agnosceret cf. Ier. X, 7. I Tim. VI, 15. Christus itaque, qua diuinam naturam, nullum agnoscit superiorem, obli-  
gatio

gatio vero externa et antecedens supponit superiorem §.  
III. Schol. 2. hinc Christus qua diuinam naturam externe  
obligari nequit; persona, quae externe obligari nequit,  
dicitur *sui iuris*, Christus ergo qua diuinam naturam est  
persona sui iuris.

§. XXV.

Per communicationem idiomatum humanae christi  
naturae singula competit idiomata diuinae eiusdem  
naturae, quae scilicet essentiam eiusdem non euer-  
tunt §. XXIII. iam vero diuina christi natura obligatio-  
nis externae et antecedentis est incapax §. XXIV. hinc  
secundum humanam naturam eadem obligationis exter-  
nae et antecedentis absentia, ob factam communicatio-  
nem idiomatum, Christo homini competit necesse est, si  
quidem essentiam eiusdem minime euerit. Quid quod?  
ipsa impersonalitas humanae Christi naturae obligationem  
eiusmodi ad leges externam et antecedentem impossibi-  
lem plane reddit. Quum enim Christus una tantum sit  
persona §. XXIII. haec autem personalitas diuinae natu-  
rae competit (per theol. dogm.) humana Christi natura  
propria personalitate destituitur: quia vero obligationem eius-  
modi personalitatem supponit, quod ex natura et notio-  
ne eiusdem faciliter negotio erui potest, appare, Christum,  
qua humanam etiam naturam, obligatione externa le-  
gum obseruandarum carere, adeoque sui iuris esse §.  
XXIV.

Conferri hic meretur dissertatio sub vener. Praeside habita,  
de Christo homine obligatione legum diuinarum anteceden-  
te et externa soluto.

B 3

§. XXVI.

## §. XXVI.

Quoniam Christus ad legem non fuit obligatus externe nimirum & antecedenter §. XXV. nullam quoque legem transgredi potuit, vbi enim ad legem nulla datur obligatio, ibi quoque nullum locum habere potest legis transgressio, transgressio legis est peccatum, Christus ergo nullo peccato contaminatus fuit, adeoque nec originali nec actualibus. Docent illud etiam clara SSacrae oracula. Sic Paulus 2. Cor. V, 21. Christum ne ullum quidem peccatum nouisse assertit. Petrus 2. Petr. II, 22. Christum nullum peccatum commisso affirmat et Iohannes in priori epist. III, 45. nullum in Christo locum habere peccatum iudicat, quibus Ebr. IV, 15. VII, 26. addi possunt. Ipsa quoque communicatio idiomatum diuinorum eandem peccatorum absentiam in Christo requirit. Competunt enim per eandem humanae Christi naturae omnia idiomata, quorum salua essentia capax est §. XXIII. Quumque iam peccatorum absentias. impeccabilitas naturam humanam neutquam euertat, siquidem protoplasti in statu integritatis a peccatis fuerunt alieni salua eorundem essentia, sequitur, vt Christus etiam secundum humanam naturam, ob ipsam communicationem idiomatum, peccatorum absentia gaudere debeat, quia eadem diuinae eiusdem naturae competit. Quid quod? impossibile plane fuit, vt Christus peccatis prematur. Vno enim personalis, quae inter utramque Christi naturam intercedit §. XXIII. ad unum omnia peccata penitus excludit. Tantum enim abest, vt sanctissima diuina natura cum homine peccatis contaminato adeo arctissime cohae-

haerere possit, vt potius peccata coniunctionem eandem soluant et dirimant Esa. LIX, 2. Ps. V, 5.

§. XXVII.

Reatus tanquam conseclarium & comes peccati inseparabilis locum non habet, nisi ubi datur peccatum, a Christo vero omne peccatum abest §. XXVI. hinc omni quoque reatu tam culpae, quam poenae destitutus sit necesse est. Poenas ergo, si quas luit, non sui ipsius causa, sed in gratiam aliorum sustinuisse constat.

§. XXVIII.

Quum Christo diuina et humana natura competit §. XXI. XXII. ipseque obligatione ad leges solitus §. XXV. adeoque nec ad poenas dandas sit obstrictus §. XXVII. non solum leges diuinias hominum loco perfectissime implere potuit, sed etiam poenas, quas homines ex violatione legum diuinarum meruerunt, eorum caussa perferre, adeoque infinitam et plenariam satisfactionem tam actiuam quam passiuam praefastare potuit §. 2.

Referenda quoque hic est *moralis possibilitas*, quae scil. eo absoluuntur, ut satisfactio Christi nulli legi diuinae repugnauerit. Quorum itaque plenarium dominium Christi in semetipsum spectat §. XXIV. XXV. siquidem de vita sua iure disponere non potuisset, nisi ipse eiusdem dominus fuisset.

§. XXIX.

Etsi Christus possibiliter plenariam satisfactionem actiuam et passiuam hominum loco praefandi polleat §. XXVIII. haec tamen ad permutationem eiusdem cum hominibus subeundam neutiquam sufficit, sed vt actu et  
reu-

revera eandem praestiterit necesse est §. XV: nostrum ergo erit, ut efficiamus, Christum tam satisfactionem actiuam et passiuam plenariam, quam hominum causa locoque vtramque praestitisse.

## §. XXX.

Christum perfectam et plenariam satisfactionem actiuam praestitisse inde constat, quod nunquam peccatum commiserit §. XXVI. adeoque nunquam actionem legi contrariam instituerit, hinc vi oppositorum requiritur, ut omnes actiones suas liberas legi conuenienter peregerit, atque adeo perfectam satisfactionem actiuam praestiterit §. II, cf. Phil. XI, 8.

## §. XXXI.

Neque minus Christus etiam satisfactionem passiuam sufficientem praestitit, quumque haec perpessione poenarum morte scil. temporali et aeterna absoluatur §. II. IV. vtramque mortis poenam Christum sustinuisse efficientum nobis erit. Quod quidem ad mortem temporalem attinet, eandem nemo nisi SS. Cræs ignarus in dubium vocabit, hinc eadem Christum oppetiisse, vt pluribus argumentis demonstremus, opus non est cf. tamen Marc. XV, 37. Ioh. XIX, 30. 33. longe alia vero est ratio mortis aeternae, quam Christum sustinuisse multi omnino negant, quamque ergo, ut euincamus, nostrum efflagitat institutum.

## §. XXXII.

Vt omni ambiguitati locum præcludamus, opus est, ut thesin nostram probandam accuratius determinem-

nemus. Non quidem eo vergit sententia nostra, ut Christum mortem aeternam eo modo et sub iisdem circumstantiis extraessentialibus ac damnati passum fuisse existimemus. Non enim refragamur, Christum ratione durationis et protensiue dolores aeternos non fuisse passum; neque minus ambabus quoque largimur, Christum dolores infernales sustinendo desperatione non fuisse abruptum. Negamus vero inde sequi, Christum poenam mortis aeternae non dedisse. Quum enim momenta haec commemorata extraessentialia saltim & accidentia mortis aeternae sint, quae quidem respectu hominum, ob limitatam eorundem naturam, neutquam vero absolute et essentialiter cum eadem connectuntur, sublati iisdem non tamen tollitur ipsa mors aeterna. Quodsi vero aduersarius cum morte aeterna tam aeternam eiusdem duracionem, quam desperationem inde ortam inseparabiliter et essentialiter cohaerere existimauerit, ipsis quidem concedi potest, Christum eo sensu mortem aeternam non sustinuisse, falso tamen exinde infert, Christum dolores et cruciatus infernales non sustinuisse, saltim qua substantiam et gravitatem aeternis damnatorum poenis et cruciatis aequipollentes. Immo contrarium ex Marc: XIV, 33. 34. ss. XV, 35 Luc. XXII, 44. patet, quod etiam praeterea ex iis SS: oraculis euictum dari potest, in quibus Christus nos Deo reconciliasse dicitur, siquidem reconciliatio absque perpessione poenarum infernalium fieri non potuit §. IV.

*Aeternitas cruciatuum in damnatis necessaria est, partim quia damnati in instanti et simul omnium poenarum taediorumque ob naturam et intellectum limitatum sunt incapaces partim quia continuo*

tinuo; interruptis vicibus et in aeternum peccant, quae adeo ob iustitiam diuinam infinitam aeternam poenam requirunt. *Desperatio* ex aeterna cruciatuum duratione et continuatione fuit atque in damnatis locum habet, quia nunquam exsolvere possunt, quod debent. A Christo vero omnes haec rationes longissime absunt §. XXI. XXVI. hinc mortem aeternam subire cruciatusque infernales sustinere potuit, quamvis nec cruciatus in aeternum senserit, nec desperationi obnoxius fuerit, quod in Christo nonsolum non fuit opus, sed et impossibile plane et contradictorium.

## §. XXXIII.

Christus nonsolum nulla peccata commisit §. XXVI. sed omnes etiam leges diuinas impleuit §. XXX. omnesque poenas peccatorum, mortem scil. temporalem et aeternam passus est §. XXXI. XXXII. hinc plenariam satisfactionem tam actuam quam passiuam praestitisse iure dicitur.

Frustra thesis haec ab aduersariis impugnatur obviendo Colof. I. 24. Quum ipse Paulus ibidem pro colosseribus passum fuisse, seque quae defuerint christi calamitates suo corpore supplexisse pro eius corpore seu ecclesia afficeret. Non enim h. de passionibus, quas Christus ipse in proprio corpore sustinuit, loquitur Apostolus, quod tamen falso supponunt aduersarii, sed de calamitatibus ecclesiae seu fideliū, quae appropriatiue calamitates Christi dicuntur Ebr. IX. 26. sermonis apostolo esse, ipse docet contextus cum aliis SS. oraculis collatus, quaeque nondum omne complementum affectuat sunt. Hinc precario quoque aduersarii πατέρες νοει h. l. de passionibus vicario respectu suscep-  
tis explicitant, quum eriam in commodum, et utilitatem ali-  
cuius per modum doctrinae, institutionis et consolationis pati

cunī

pati denotet 2. Cor. I, 6. 2 Tim. II, 10. Nec quicquam  
proficiunt, qui nostram salutem et reconciliationem a gratia  
divina dependere contendunt indeque christi satisfactionem  
minus esse sufficientem inferunt, quam creditoris gratiae tri-  
bui nequeat, si debitor omnia exactissime soluerit. Falso  
enim et per petitionem principii supponunt, gratiam diuinam  
et meritum Christi, sibi inuicem opponi nec simul consistere  
posse, unius enim positio non infert alterius exclusionem.  
Gratia diuina nihilo feciis in hominum reconciliatione locum  
habere potest, siquidem nonsolum gratiae tribuendum est, ut  
permutationem Christi hominumque constituerit et ratam ha-  
buerit, verum ipsa etiam satisfactionis Christi applicatio ex gratia  
diuina deriuanda est. Nonnulli quoque sententiae nostrae con-  
trarium exinde efficere conantur, quod ad poenitentiam,  
sanctificationem et studium bonorum operum obligamur;  
verum non cogitant, singula haec non esse necessaria ad re-  
conciliationem cum Deo efficiendam, sed necessitate saltim  
mandati, ordinis finiumque promouendorum.

## §. XXXIV.

Quamuis autem Christus perfectam et plenariam  
satisfactionem actiua et passiuam Deo praestitit §.  
XXXIII, nulla tamen exinde in nos reddundaret utili-  
tas, nisi nostri causa locoque utramque praestitisset. Ma-  
ximum ergo hoc in permutatione Christi hominumque  
est momentum, hinc ut breuiter idem explanemus ope-  
rae pretium erit. Phrasis enim haec: *alterius loco sa-  
tisfacere* vel denotat *satisfactionem vicariam pro altero  
praestare*, vel generatim in utilitatem et commodum  
alterius satisfactionem soluere, vterque significatus, prior  
tamen potissimum, in satisfactione Christi hominum loco  
locum obtinet cf. Gal. IV, 4. Tit. II, 14. 1 Petr. III, 18.

**N**) Assertum inde quoque stabilitur, quod Christus propriis peccatis destitutus poenas sustinuerit (per demonstrata) poenas vero et ob suam naturam et ob iustitiam diuinam infinitam absque peccatis locum habere non possint, siquidem *pœna est malum physicum ob malum morale collatum*; hinc Christum peccata hominum expiasse recte colligimus. Quumque ipse praeterea obligatione ad legem solitus eandem perferre impleuerit, aliorum, hominum scilicet, causa idem fecerit necesse est. Nec obstat nobis Ezech. XVIII, 4. 20. quia inde saltim sequitur, Christum ad eiusmodi satisfactionem praestandum iuste et legitimate cogi non potuisse, neuti- quam vero, eundem satisfactionem hominum loco praestare plane non potuisse: volenti enim non sit iniuria.

**D**) Ad utilitates satisfactionis Christi, praeter vicarium eiusdem respectum, referimus e. g. quod passio et mors Christi sit exemplum patientiae Esa. LIII, 7. caritatis Ioh. XV, 13. et obsequii Phil. II, 5. 8. etc. unde diiudicari potest, cuius mo- menti sit obiectio inde petita, quod hac ratione satisfactio- nis Christi passiva vicario respectu careat seu premium redemptio- nis dici non possit; falso enim haec pro oppositis habentur.

### §. XXXV.

Quoniam itaque Christus hominum loco satisfa-  
ctionem actiuam et passiuam plenariam praestitit §.  
XXXIV. ipsi in Dei iudicio omnia peccata ab homini-  
bus unquam commissa imputata sunt. Hinc praeter  
reatum poenae ipse quoque reatus culpae obnoxius et  
pro legum diuinorum transgressore declaratus fuit, ho-  
minumque peccata, tanquam ab ipso perpetrata, in Dei  
iudicio spectata fuerunt. cf. Ioh. I, 29. 1. Ioh. II, 2. Esa. LIII.  
4. 5. 6. 11. 2. Cor. V, 21. unde diiudicari potest, quo iure  
Christus *omnium peccatorum maximus* dici possit.

### §. XXXVI.

*in Dei iudicio facta legitime.*

21

§. XXXVI.

Pergimus iam ad consensum Dei ad permutationem Christi hominumque necessarium efficiendum. Potest iste vel ex expressis Dei effatis, vel ex actionibus eiusdem nonnullis colligi. Ad priorem classem Math. III, 17. XVII. 5. pertinent, in quo utroque loco Deus voce ex coelo demissa Christum, vicarium nostrum, carissimum suum filium sibiique acceptum pronunciat. Vnde recte inferimus, approbasse quoque Deum substitutionem eiusdem pro hominibus vicariam. Conferatur etiam Ioh. XII, 28.

§. XXXVII.

Ad alteram classem argumentorum, quibus consensus Dei in permutationem Christi hominumque evincitur, referimus α) ipsam a Deo factam constitutionem Christi in vicarium nostrum cf. Ioh. III, 36. Gal. IV, 4. Rom. III, 25. nec non β) miracula a Christo patrata, quae permutationem eiusdem vicariam a Deo ratam habitam fuisse demonstrant, quare ipse christus ad eadem saepius prouocat, quod patet ex Ioh. V, 36. 37. X, 25. 37. 38. conferatur etiam Act. II, 32. et denique γ) refutationem Christi ex morte ipsamque eius exaltationem Act. II, 32. XIII, 30. Phil. II, 9. ff.

Corroborant quoque assertum illa SSerae loca, in quibus Christus omne negotium ex voluntate Dei suscepisse dicitur,

§. XXXVIII.

Ex consensu Dei in substitutionem Christi vicariam ipsius quoque Christi consensus in eandem colligi potest, quia una saltim eodemque gaudent voluntate. Deinde

C 3

vero

22 *De Permut. Christi hominumq. in Dei iudicio &c.*

vero idem etiam ex clarissimis SS. Crætae effatis constat,  
quorum potiora sunt Ps. XL, 8. 9. coll. Ebr. X, 7. Ioh.  
IV, 34. X, 17. 18. Phil II, 7. 8.

§. XXXIX.

Restat denique, ut consensum et approbationem  
hominum in permutationem Christi cum iisdem ostendamus. Consensum antecedentem singulorum homi-  
num quidem ad eandem non necessario requiri, sed  
praesumtum sufficere §. XIX. schol. euicatum fuit. Quem  
vero in permutatione Christi hominumque locum habe-  
re inde patet, quod eadem saltim ad perfectionem homi-  
num promouendam aeternamque iisdem salutem pro-  
curandam respexit; ecquis vero hominum in id, quod  
maximam ipsi perfectionem praestat, immo cuius absen-  
tia ipsum maxime infelicem redderet, non consentiret?  
Accedit quoque, quod nemo permutationis Christi ho-  
minumque eiusque fructus particeps fiat, nisi consensu  
consequente eandem approbet fibique applicet.

§. XXXX.

Ex integra nostra tractatione elici iam potest con-  
sectarium, permutationem Christi hominumque in Dei iudicio  
factam esse legitime. Quare sine dissertationis obtenu-  
to nihil praeterea addamus nostræque dissertationi ap-  
petem imponamus. Faxit sumnum in coelis Numen, ut  
permutatione Christi rite utamur fructus-

que eiusdem capiamus

vberrimos.

F I N I S.

# RESPONDENTI

AESTVMATISSIMO

SAL. PLVR. DIC.

P R A E S E S .

**N**on dubito fore nouillos, qui TE actum agere o-  
peramque ludere existimant, quin demonstrari  
videant ea legitime facta esse, quae unum DEV M  
ab omni illegitimarum consiliorum operumque su-  
spicione remotissimum auctorem habent, indicentque vel  
irreuerenter vel incassum disputari quae ad DEI actiones  
vindicandas spectant, indubie legitimas nec sine piaculo in  
controversiam vel iudicium vocandas. Cuius vituperii cul-  
pam TIBI a me praestandam esse non diffiteor. Meo enim  
consilio hoc argumentum disputas, quod ex edito a me olim  
catalogo doctrinarum ad disputandum propositarum desum-  
isti, ubi loco quinquagesimo nono comparet, licet alis ver-  
bis conceptum paulloque angustius circumscriptum. Ap-  
eriam igitur rationes, bono cutque et rerum humanarum  
non penitus ignaro facile approbandas, quibus inductis  
hanc doctrinam singulari explicatione, discussione et con-  
firmatione dignam omnino iudicauerim. Quae hue porisse  
m redeunt. Primum pertinere ad scientiam non solum  
rerum diuinarum, qua aliorum doctores non legitime aut  
impune carent, verum etiam ad venerabundam DEI ad-  
mirationem et celerationem ut subductis consiliorum et a-  
ctionum ipsius rationibus summa illarum iustitia et rectifi-  
ca perfecio luculentter appareat arque euidenter perspi-  
cia-

ciatur, cuius intelligentiae nobis ipse DEVS in sacris  
litteris opportunitatem sufficit atque exemplum praeiuit,  
quum in oraculis innumeris sanctissima sua decreta et con-  
silia hominum conscientiis approbatum iuit. Praeterea ne-  
que dissimulanda neque multo minus conscienda est haec  
ignominia generis humani experduellione primorum pa-  
rentum enata quod non solum semina criminationum innu-  
merarum contra DEV M in mortalium animis lateant, cum  
inexcusabili insimulandi supremum rerum omnium mode-  
ratorem obuiorum malorum et iniquitatis pruritus, atque  
temere ipsum diuidicandi libidine verum etiam numquam  
desint aperti publicique DEI obtrectatores, et vituperato-  
res quorun calumniis obuiam eundum est non conuicii licet  
meritissimis sed iusta defensione vindicisque legitimis  
ad causam DEI agendam rite comparatis, quod sine pia-  
culo negligi nequit, quoiescunque aduersariorum proterua  
fingendique aut immutandi doctrinam diuinatus reuelatam  
vel oppugnandi irridendique eandem nefanda audacia ille-  
stabilem banc necessitatem DEI cultoribus imponit. Quod  
in doctrina de satisfactione CHRISTI dupli controvener-  
sorum genere factum esse satis constat. Vnum absolvitur  
impugnatione buius doctrinæ ab illis, qui diuinorum ora-  
clorum veritatem profitentur, sed regulis verae certae-  
que interpretationis eorundem abusi ex commentitia ini-  
quitate eiusmodi satisfactionis evidenter sacrarum lit-  
terarum testimonia, quibus illa efficitur ad alia omnia de-  
torquent, arbitrati satis confutari falsique convinci sensum,  
quem purioris doctrinæ sectatores ex illis deriuant, si cum  
aliqua veri specie asseruerint pugnare cundem cum legibus  
aequitatis et iustitiae atque rem consituere, quae in DE-  
VM cadere nequeat. Hac acie eorum, qui SOCINI, POI-  
RETI,

RETI, DIPPELI castra sequuntur his annis pugnant,  
longe atrocior est ac detestabilior sacerrimus illorum im-  
petus, qui DEISTARVM nomen mentiti omnem doctrinam  
atque rem sacram diuinitus constitutam pessundare et de-  
bellare satagunt. Nihil his solemnius est in traducenda  
doctrina Christiana cauillatoria satisfactionis CHRISTI  
irrisione, quam a iusto aequo et honesto abhorrire DEO-  
que indignam esse et contumeliosam in supremi muninis per-  
fectiones impudentissime criminantur, quod PATOTII,  
MORGANI, EDELMANNI lectores non ignorabunt. Ad  
fustinendam igitur infringendamque felicius duplēcēm hanc  
impugnationem, opus omnino est, antequam ipsis obiectiōnibus  
occurratur et manus conservantur, ut sanctissima illa doctri-  
na, quae arcem sacrarum litterarum constituit, rite stabili-  
liatur, confirmetur atque communicietur, ne manca et im-  
perfecta illius constitutione vel latus apertum praebeat ob-  
trectionibus iniuriosis vel cuniculis et infidilibus aduersa-  
riorum pateat, qui id agunt enixissime ut eam informem,  
truncatam, atque dilaceratam repreäsentent suisque prae-  
sidiis destitutam. Affatim haec, quae latius prosequerer,  
si litterarum, quas scribo, conditio id ferret, vel difficilli-  
mis harum rerum arbitris satisfacient, atque laborem  
TVVM in tuto collocabunt. Quem TIBI integrum relin-  
quere malui, quam emendationibus retractare et accessioni-  
bus ira locupletare ut meus ex parte videri posset. Neque  
hic supplementa scribam, sed, quod operarum festinatio vir-  
get, breuiter amoris, quem TIBI debo, officio defungar.  
Parenti TVO plurimum reverendo exinium par filiorum  
bonae frugis et optimae spei, stadium academicum recte et  
feliciter emensorum, a litteris, doctrina et scientia prae-  
clare instructorum, cum publico industriae specimine et prae-  
ceptorum commendatione domum redditorum vere et ex

D

animo

animo gratulor, DEV Mque precor ut raram hanc felicitatem, quae paucissimis vel unius duntaxat filii ex academia reditum praestolatis contingere solet, diuturnam et perpetuam esse iubeat ipsique aeternitati profuturam. TE vero, carissime ZIMMERMANNI, pro necessitudine nostra rogo et obtestor ut ipsam hanc honorum exspectationem, grauem TIBI aduersariam constitutam esse cogites, vincendam tamen, si a laudabili virium contentione nihil remiseris, DEO que consecratus totus id egeris, ut salutarem CHRISTI doctrinam, quam imbibisti, in tuum aliorumque usum transferas, fortiter tuearis, studiose propages, fructibusque dignis exornes. Ita viues feliciter meque amplissima volupitate beabis TVI amantissimum. Dedi Halae ad Salam in Academ. Frideric. d. III. Non. Apr.

MDCL.

HONORATISSIMIS

## ZIMMERMANNIS

S. P. D.

GE. FRID. MEIER,

**A**me ipso impetrare non potui, AMICI AESTVMATISSIMI, vt sine mea qualicunque commendatione et sincera amoris mei erga VESTRVM VTRVMQVE prolixissimi testificatione Fridericianae nostrae valedicatis. Vnam tamen epistolam ad hanc rem abunde sufficere arbitror, quum rara fratrum concordia VOS animosque VESTROS tam arte coniunxerit, vt, egregia et non discordi aemulatione, iisdem studiis et eadem morum honestate inter nos versati fueritis. Ex quo tempore ad academiam nostram accessistis, ex eo tempore factum est quoque, vt summa diligentia et assiduitate scholas

meas

meas frequentaueritis. Sine enim logicam docerem, sive matheſin, sive metaphysicam, sive ius naturae et ethicam philosophicam, sive praecpta homileticae vniuersalis et hermeneuticae explicarem, sive philosophiam generalem proponerem, vidi semper et quotidie inter audtores meos diligentissimos ZIMMERMANORVM vtrunque. Quare non potui non VOS amare et magnam spem de utroque VESTRVM concipere. Retauli VOS inter illos commilitonum meorum dilectissimorum semper et adhuc refero, qui diligentia et vita veritatibus haud indigna efficiunt, quae vitae meae genus magna comitari solent ceterua tedium facile dulcescant. Quid enim hominem, qualis ego esse et in dies magis magisque fieri enixissime labore, cui iuuentutis academicae omnis salus curae cordique est, vehementius angit, quam plures animaduertere sic dictos scientiarum bonarumque artium studiosos, qui tamen omnia alia potius agere videntur, quam veritati et virtuti operam nauare debitan? Gratulor itaque mihi ipſi vehementer et ex animo omnes commilitones meos, qui prospectibus in philosophia factis egregiis comprobant me non frustra laborare, gratulor hinc et mibi ZIMMERMANOS, qui tandem publico specimine eruditionem suam quoque faciunt testatissimam. Valete, AMICI HONORATISSIMI, iterum iterumque valete. Dedi in Fridericana d. XXIV.

Mart. MDCCCL.

PRAESTANTISSIMO ATQUE HONORATISSIMO  
**AVCTORI RESPONDENTI.**


S. P. D.

**M. GOTTLLOB SAMVEL NICOLAI.**

AMPLISS. FACULTAT. PHILOSOPH. ADIVNCTVS.

**C**uncta philosophorum scita, ex omni quem natura duce reperire queunt rerum ambitu, lubrica tantum, et maxime interdum periculosa futurae vitae recensent solamina. Sit quod ab illis dij-

disseveris, qui fiditia ratione, sibi perfectam salutem ex naturae iuribus originem trahentem, somniant; attamen ne illis quidem, qui omnia cogitata veritati sacra esse cupiunt vterius progredi conceditur, quam quod cuiuslibet facti conjectaria, ex ipsa eius vi diudicare possint. Quemlibet igitur hominum manet sors, cum actionibus eiusdem, quam curatissime conspirans. Quam varia vero atque inconstans plurimorum hospitum terrae solet esse vita? Modo reli custodes, honesti imitatores, ingenua vigore probitate. Modo aequi contentores, criminum artifices, anfū nefando impietas profana corda tener. Quid vero inde colligere fas est? nisi, felicibus auspiciis, insequentem vitae semitam tunc tantum inchoari, si sancta mens prauum post se reliquerit animae habitum. Nemini vero vnuquam contigit, omnes suas cogitationes numero comprehendere noto, vt inde fata sua augurari possit. Quae inde pauidae curae? qui conscientiae morfus, et quam turbulenta hominum conditio? Adeſt vero, ad quod animus adſpirat, mite aliquod et exoptatum solatium, seruatoris puta meritum; id quod ſingulis offertur qui tranquillam beatamque legitimo, modo appetant vitam. Huius vero doctrinae salutaris notitia merito iis innuitur veritatis, quas sanctum scripti *TVI*, argumentum *TIBI AMICE DOCTIS-SIME* enunciandas tradidit. Ea quae princeps hac in re momentum constituant, solide perspicue et ordine concinno exposuisti. Haec cognitionem theſeos Christianae scientiarum moralium et philosophiae quam egregio studio *TIBI* acquiſuisti lectoribus, quantum tempus *TIBI* relictum permisit, abunde approbabunt. Eandem ostendes in defenſione eorum, quae diſseruisti, ad quam iſtituendam sermones meos ut voluisti audies. Vſu vero etiam huic labore affueactus, et ille feliciter cedet. Nihil itaque quam animi *TIBI* deditissimi significationem addo, cui quaevis prospera, commoda, iucunda, quae TE expellant in votis erunt. Perennem amicitiam ea quae in TE est humanitas nubi pollin- cetur. Vale. Dab, in Regia Fridericana *III.* Nonarum Aprilis  
MDCCL.





00 A 6402



5b.

VD 17





EXERCITATIO THEOLOGICA  
DE  
**PERMVTATIONE CHRISTI  
HOMINVMQVE IN DEI IVDICIO  
FACTA LEGITIME.**

QVAM  
SVB VMBONE  
VIRI MAXIME REVERENDI AMPLISSIMI  
DOCTISSIMI  
**SIGISMVNDI IACOBI BAVMGARTEN**  
S. S. THEOLOG. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN.  
SEMINARIJ THEOL. DIRECTORIS, REGIARVM MENSARVM EPHORI ET  
ACAD. SCIENTIARVM BEROLINENSIS MEMERI  
PATRONI AC PRAECEPTORIS OMNI QVA DECET  
OBSERVANTIA AETERNVM PROSEQVENDI  
AD DIEM APRILIS CLXCL.  
HORA LOCOQVE CONSVENTO  
PVBLICE DISPVNTANDO VENTILABIT  
AVCTOR  
**BALTH. CASPAR ZIMMERMAN,**  
HOERDA - GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBURG.  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.